COMMENTATIONIS

IN LOCUM

PSALM. 16, V. 10.

SPECIMEN.

QUO

MOREM GERERET MUNIFICAE

VOLUNTATI

JOANNIS CASPARIS ARLETII

SCHOLARUM A. C. ADDICTARUM INSPECTORIS
GYMNASII ELISABETANI RECTORIS, THEOL. HEBR. ET GRAEC. LING. PROF.
BIBLIOTH. PUBL. RHEDIGERIANAE PRAEFECTI, ET REGIAE
SOCIETATIS TEUTONICAE REGIOMONTANAE MEMBRI

D. XXV. JAN. AN, MDCCLXXXIV.

OMNIBUS BONIS FLEBILIS HUMANIS REBUS EREPTI.

SCRIPSIT

CAROLUS THEOPHILUS KLEIN

VRATISL. - SILES. THEOL. STUD.

HALAE,

LITTERIS MICHAELIS.

MDCCLXXXVI.

VIRIS,

SUMME ET PLURIMUM VENERABILI

AMPLISSIMO, MERITISSIMO, ET DOCTISSIMO

DOMINO

JOANNI DAVIDI GERHARD

POTENTISSIMI BORUSS. REGIS, SUPREMI CONSISTORII CONSILIARIO, ECCLESIARUM ET SCHOLARUM A. C. INSPECTORI GRAVISSIMO, S. S. THEOL. IN UTROQUE VRATISLAVIENSIUM GYMNASIO PROFESSORI PRIMARIO,

ITEMQUE

AMPLISSIMO, MERITISSIMO ET DOCTISSIMO

DOMINO

J. E. SCHEIBEL

SCHOL. A. C. ADDICTARUM INSP. SECUNDO GYMNAS. ELISAB. RECTORI, MATH. ET PHYS. UTR GYMN. PROF. BIBLIOTH. RHEDIG. PUBL. PRAEFECTO, ACADEM. REG. BORUSS. SCIENT. SODALI, SOCIETAT. REG. BRITAN. SCIENT. GOETTING. A COMERC. LITERAR. SOCIETATIBUS REGIIS TEUTON. REGIOMONT. LITTERAR. FRANCOFURT AD VIADR. OECONOMICAE POTSDAMENSI ADSRCRIPTO.

VIRIS

VIRTUTE ET ERUDITIONE CLARISSIMIS

PATRONIS MAECENATIBUS

SUIS

DEVOTISSIMA MENTIS PIETATE

COLENDIS

SPECIMEN HOC QUALECUNQUE

D. D. D.

AUCTOR.

§. 1.

Commentationis argumentum indicatur.

Dictum quod Pf. 16, v. 10. exftat כִּי לֹא תַעֲזֹב נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל לֹא תִתֵּן חֲסִידֶיךָ לִרְאוֹת שָׁחַת ab interpretibus inter loca difficiliora in facris litteris occurrentia non fine caufa referri folet. Quodfi enim verba, uti leguntur confideramus, locus obfcuritate non caret. Quis enim fit fenfus verborum נַפְשִׁי לִשְׁאוֹל interpretibus haud fecure conftat. Porro fi quaeritur de argumento carminis, interpretes mirum in modum inter fefe diffentiunt.

Periculum igitur faciemus brevi hac commentatione fententiam noftram explicandi, et pro exiguo noftro ingenio disquirendi, utrum verum huius dicti fenfum conftituere poffimus, dum his paginis Viri doctiffimi b. Arletii memoriam recolimus.

At Vos Viri honoratiffimi, patroni optimi, Tu praecipue qui pro benivolentia Tua infigni erga me, ftipendio illo me adiovifti, Vir Ampliffime, animo colende gratiffimo, veniam detis, quod fpecimen hoc exiguum nominibus Veftris fplendidiffimis inferibam, qui Vos fupplex adeo, ut hanc qualemcunque opellam fereno vultu accipiatis; et me Veftro ftudio in pofterum quoque haud indignum iudicetis.

§. 2.

Explicationis nostrae ordo exhibetur.

Tractationem nostram ita partiemur, ut primo generatim quaedam in medium adferamus, quae ad scopum atque argumentum dicti nostri indagandum faciunt, ac deinde ipsum textum observationibus nonnullis illustremus.

§. 3.

Argumentum Psalmi generatim sub conspectum subiicitur.

Si Psalmum generatim uno quasi obtutu lustremus, quod in aliis, qui argumenti similis sunt, observatur, deprehendimus idem in hoc nostro, nempe duplicem velut actum in hac sanctissimarum rerum scena arcte coniungi, tristiorem alterum, alterum laetiorem. Eius generis Psalmi passionales dicuntur, quia partim moesto, partim laeto dicendi genere compositi esse solent. Qui exemplum requirit, priorem, partem Ps. 22. cum altera v. 23. conferat. Videbit ibi luctantem, gravissimisque undique cinctum perpessionibus, hic ex tristi repente laetabundum ac triumphantem; ibi audiet flebiles voces, angorum animi et summae ἀδημονίας indices, hic merum paeana, suavissimumque, ut post exantlatam incredibilem malorum vim hostesque triumphatos, epinicium. In nostro Psalmo observamus perpessionum mentionem magis complicatam, magisque velut abditam, potiorem autem partem longius a demissae et querulae supplicationis indole abesse. Attamen ipsum exordium, *custodi me Deus*, praesentissimum, immo gravissimum, quod personam in hoc Psalmo loquentem cingebat, periculum, innuit,

§. 4.

Oratio sacerdotalis est.

Si orationem ipsam in hoc Psalmo occurrentem intuemur, invenimus orationem sacerdotalem. Sacerdotis enim personam perpetuus orantis sermo tuetur, maxime autem, quae vers. 4. 5. 6. leguntur, declarant, veram esse nostram hanc opinionem, quam praeterea etiam ex legibus V. T. sacerdotis optime explicare possumus. Magnam porro invenimus similitudinem et convenientiam inter orationem illam, quam Joannis C. 17., exhibet, et inter hanc, quae in Psalmo nostro exstat.

§. 5.

De quanam persona hunc Psalmum intelligere possimus.

A primis inde temporibus theologi de persona, quae in hoc Psalmo loquens inducitur, disceptarunt, et sane, hoc certo definire, difficile est. Non desunt autem vestigia, quae attentum lectorem ad securiorem interpretationem ducere possunt. Ut enim antea diximus semper in hoc Psalmo sacerdotis orantis sermo occurrit, porro in omnibus huius Psalmi effatis nullum se obiicit praedicatum, quod non aptissime illustri huic subiecto, de quo praesertim Davides in Psalmis copiose loquitur, Messiae, conveniat.

§. 6.

Idem ex N. T. testimoniis stabilitur.

Quodsi novi foederis tabulas consulimus, Petrum pariter ac Paulum, suo testimonio idem confirmare videmus, ita ut res per quam clara videatur. Sunt autem qui putent, scriptores sacros N. T. oracula V. T. ita allegare, ut verba eorum referant quidem, ceterum in aliam prorsus sententiam eadem accipiant. Non vacat hoc loco, nec lubet canonem hunc hermeneuticum curatius examinare, quid ceteroquin ad nonnulla s. sc. loca recte observatur, fidenter tamen asseveramus, eum ad geminum quod excitavimus testimonium, et quod e §. sequenti audire volumus, applicari non posse.

§. 7.

Loca Act. II. et Act. XIII. adducuntur.

Petrus Act. 2, 25 — 31. hunc Psalmum de Messia explicat, immo causas explicationis suae indicat, Davidem sua persona in hoc Psalmo loqui non posse. Paulus autem Act. XIII. cum 10 Ps. nostri versum citavisset, subiicit: Davides quidem — — obdormivit. additusque ad maiores suos corruptionem passus est, et quia a Deo excitatus est (is vero Jesus erat Nazarenus), minime ille corruptionem subiit. Hic etiam non allegoriam iudaicam intelligendam esse, satis perspicuum est, licet nonnulli recentiorum hanc opinionem defenderint. Nec poterimus reliqua ad Davidem trahere, in quem ista, quae ex media oratione sunt, et tali quidem, quae omnibus partibus apta et cohaerens est, convenire negantur. Recte etiam observatur, phrasin Psalmi sacerdotis personae, quae Davidi non competit, unice passim convenire.

§. 8.

Transitus ad partem commentationis alteram.

Haec sufficiant ad ea, quae generatim de hoc Psalmo dicere volumus, nunc in proposita tractatione alterum membrum adgredimur, nempe ipsam Vers. 10. sententiam, et quaedam afferemus, quae uberiorem rerum ipsarum meditationem iuvare queant.

§. 9.

Nexus vers. 10. cum antecedenti ostenditur.

Connexionem verborum v. 10. cum antecedenti si spectamus, omnia sic cohaerere intelligemus: corpus Messiae secure in sepulchro quiescit, nam Deus corpus eius in sepulchro manere non sinet, sed resuscitabit id, ante quam corruptionem senserit. Haec de connexione duorum commatum. Sunt qui vertant; TU NON RELINQUES IN INFERNO, veluti cum ב constructum; res eadem manet, imago et dicendi genus modo mutantur. Relinquere corpus inferno, significat, tradere illud terrae, ut in pulverem mutetur. Infernus seu sepulchrum tunc quasi sicuti bestia insatiabilis proponitur, quae hominum carne nutritur.

§. 10.

De vocabulo שְׁאוֹל et de nonnullis illud interpretandi generibus.

Nunc ad vocabulum שְׁאוֹל progredimur. Si שְׁאוֹל per infernum reddimus, non locum damnatorum esse, sed universum mortuorum statum, dicere volumus. Ideo non bene hoc vocabulum in lingua nostra vernacula uno verbo exprimere possumus, sed bene id Graeci ἄδην, latini vero inferos dicunt. Huius enim regni inperio tranquillo non corpora modo ac mortuorum umbras, et regna, sed quod incredibile esse videtur, abietes etiam decisas adnumeraverunt. Ex his iam satis patet, שְׁאוֹל perfectum vocabulum μεσον sicuti Graecorum ᾅδην esse, nec statum mortuorum felicem nec infelicem per se indicare, ut loca Genes. 37, 35. c. 42, 38. Ps. 66. Jes. 38, 18. Hiob 17, 13. clarissimis verbis demonstrant. Septuaginta bene εἰς ᾅδου vertunt. ᾅδης enim idem quod ἀΐδης est, et bene hoc vocabulo de rebus invisibilibus, quae in sensus nostros non cadunt, utimur, si e. c. statum mortuorum, quem nescimus, significare volumus. His praemissis ad acuratiorem vocabuli considerationem transeamus.

eamus. Multa enim ſunt vocabulum שְׁאוֹל interpretandi genera, et propterea a multis fuſius diſputatum eſt. Nos autem pro inſtituti ratione brevitati inſerviendum ducimus, non relaturi huc aliorum vel recte vel ſecus cogitata, multo minus in controverſam illam quaeſtionem, de deſcenſu Chriſti ad inferos ratione, quem ex v. 10. nonnulli declarare et determinare volunt, excurſuri, ſed quasdam modo obſervationes hic addere volumus.

Nonnulli ſcilicet interpretes שאול de damnatorum cruciatibus, multi autem de paradiſo intellexerunt. Plures enim nova ſignificatio induxit, quam שאול poſt deportationem babylonicam apud Hebraeos et ἅδης in Chriſtianorum eccleſia accepit. Poſtquam enim theologi appellationibus, ſecundae mortis, aeternae mortis, de poenis poſt hanc vitam futuris uſi ſunt, tunc etiam mortem, mortis regnum pro damnatorum ſtatu et cruciatibus poſuerunt. Γεεννα e. c. vallis filiorum Hinnom prope Hieroſolymam, ſepulturae cadaverum communis locus inferno nomen dedit, ſic etiam שאול et ἅδης; et quidam interpretes, inſcii linguae veteris שאול ex multo poſteriori eccleſiae dicendi genere explicuerunt; ſed eiusmodi interpretatio cum loquendi uſu pugnat, et nos omnia, qnae interpretamur oportet e loquendi uſu metiri. Quidam porro שאול de animi cruciatibus, quos Chriſtus pronobis paſſus eſt, intelligunt. Sed ſi perſona in hoc Pſalmi quaſi ex ſepulchro loquens indicatur; ſi porro nexus v. 10. cum 9 verus ſit, tunc per ſe haec explicatio concidit, nam Chriſtus in ſepulchro dolores infernales pati non potuit, ergo etiam Deum non orare, aut a Deo auxilium ſperare.

§. 11.

Alia cauſa ex qua intelligi poteſt, hanc opinionem veram non eſſe.

Non poſſumus unum exemplum adferre, ubi שאול locum damnatorum, aut eorum cruciatus ſignificet, quamdiu lingua hebraica adhuc viva et in ſua originali puritate eſſet. Multi ſc. ſacr. loca attraxerunt, ad hanc ſignificationem ſupra indicatam defendendam; ſed haec contra ipſam eorum opinionem ſunt.

1) Prov. 15, 24. Sed hic non poſſumus bene ſepulchrum intelligere; nam ut ex aliis locis patet, ſepulchrum ſaepe mortis loco ponitur, et mors ad Hebraeorum metonymiam, infelicitatem, ſicut vita omnem felicitatem ſignificat.

 2) Deut.

2) Deut. 32, 22. Sed comminatio, quam hic invenimus, verum immo sublimem sensum in se comprehendit, si internas terrae flammas intelligamus, quae regiones, urbes &c. diruunt. Multa eiusmodi exempla invenimus in Palaestina c. c. mare mortuum, triste profecto exemplum, et in aliis terrae regionibus tales casus satis superque cogniti sunt. Si autem nihilominus hoc loco שְׁאוֹל cruciatus aut damnatorum locum significare debeat, quod contra omne s. scripturae loquendi genus est, semper vocabulum *μέσον* manet, mortuorum statum, in quem Dei ira omnes peccatores persequi vult, denotans. Ideo non possumus ex dicendi genere: *ira Dei urit, usque ad interna terrae loca*, demonstrare שְׁאוֹל per se damnationis locum significare.

3) Ps. 86, v. 13. Hic de conservatione e vitae periculo poëta loquitur.

§. 12.

Quidam denique sunt, ut supra iam diximus, qui putent, שְׁאוֹל de paradiso intelligi posse. Sed ii, qui hanc interpretationem probant, haud ullam idoneam rationem afferre possunt. Quodsi igitur huic vocabulo talem dare possumus significationem, ut §. 10. ostendimus, et quam regulis nobis praestructis fundare possumus, omnino haec interpretatio omnibus praeferenda erit.

§. 13.

Explicatio vocabuli נפש

Plerumque intelligimus animam, et veteres fere omnes hanc opinionem habuisse ex multis eorum scriptis patet. Sed hoc explicationis genus contra contextum pugnare, mox intelligemus, si modo attende textum perlegamus. Mortuorum regnum ut supra diximus in se comprehendit totum mortis fatum, et corporis et animae. נפש significat porro cadaver, ut hanc significationem Levit. 21, 1. 22, 4. Num. 5, 3. C. 6, v. 6—11 &c. invenimus. Nos quidem negare non possumus, incredibile videri, animum, vitam, halitum et cadaver uno hoc vocabulo נפש comprehendi, et sane difficultatem satis per versum Aen. 3, 67. „*animam sepulchro condimus*, diminuere non possumus, nam Virgilius vere animam intelligere poterat. Si autem consideremus verbum נפש significare, ut satis superque notum, spirare, halare, inspirare, et

et praecipue exſpirare; tunc vereſimile eſt, eandem ſignificationem hic applicari poſſe; Tunc exſpirare idem erit, quam mori et נפש corpus ſignificabit, quod extremum halitum exſpiravit. Corpus ſepulchro tradere, et ſanctum corruptionem videre, tunc idem eſt.

§. 14.

De vocabulo חסידיך *et* שַׁחַת

Non permittes ſanctum tuum videre corruptionem: hic locus eſt graviſſimus Pſalmi noſtri, propterea quandam explicationem ei addere volumus. Verum hic praecipue videndum eſt, an vertendum ſit, ſanctus tuus, aut ſancti tui, et an שַׁחַת foveam aut corruptionem ſignificet; itaque, an priora verba de unico quodam ſingulari individuo, aut de pluribus agant. In bibliis noſtris, et in textu Maſoretico duplex eſt lectio vocabuli חסידיך. Si lectionem conſonantium ſequamur, ſic חֲסִידֶיךָ ſcribitur, puncta tunc cum conſonantibus congruunt. Si autem vocales ſumamus, in ſingulari Chaſidcha ſcribitur, tunc י ante ſuffixum, quod ſignum plur. eſt non communicare poſſimus cum illo, et ex his patet, eum a cuius manu puncta ſunt חֲסִידְךָ ſine י legiſſe.

שַׁחַת ſignificat apud Ebraeos corruptionem aut foveam, ſepulchralem praeſertim, ut adeo vel plane neget perſona loquens, ſe in ſepulchro poſitum iri, vel hoc tantum affirmet, ſe corruptionis et putredinis expertem fore.

§. 15.

Tandem ſenſus dicti explanatur.

Ex his omnibus ſatis patet, locum noſtrum hunc praebere ſenſum: *Tu o Deus, me, dilectum tuum, non deſeres in inferno, immo dilectum tuum corruptioni et putredini non trades.* Sic omnia momenta, quae in Pſalmo invenimus plane congruunt, et locus noſter ſatis perſpicuus eſt.